



EBerhardus eruditione & pietate insignis, apud omnes sibi magnam authoritatem comparauit. Itaque factum ut Cathedralis Ecclesiæ Argentinensis Decanus electus fuerit. Cum autem is huius mundi fastum contemneret, de secessu cogitauit. Itaque sese ad Eremum Heluetiorum contulit, atq; ibidem S. Meinradi Cellam (qui ante sexaginta circiter annos ibidem à latronibus sublatus fuerat) restaurauit, anno Christi noningentesimo tricesimo. Ibi Eberhardus sacris literis atque diuinæ inuocationi cum suis collegis diligentem operam impendit. Habebat secum Bennonem, qui & ipse canonicus Argentinēsis fuit, is postea Episcopus Mentensis electus, Eremitarum uitam reliquit, atque sese ad suam Ecclesiam recepit. Cum autem Eberhardus constanter perseueraret, atq; eius fama non sine opinione sanctitatis innotesceret, Gregorius regis Angliæ filius ad eum clam profectus est, atq; pari studio sese ei coniunxit. Huius Gregorij sororem Egi-